

Chernac *) 22 paginas in *quarto majori*, et Vega **) 19 paginas in *quarto* impendit.

2. Quoniam pro majoribus numeris copia *numerorum primorum* praecipiti cursu decrescit, emolumentum prioris tabularum dispositionis jam diminuitur atque cessat; quare elucubravi alteram tabulam continentem divisorem unicum aut interdum duos numerorum inter 21500 et 1000000 per 2, 3, 5 et 11 non divisibilium, quorum notas infimas utique post singula 33 centena eodem ordine redeuntis in tabula speciali seorsim exhibui. Quando numerus propositus plures divisores involvit, id semper puncto divisorsi illius adjecto indigitavi, et ut praeterea ad reliquos numeri divisores cognoscendos *unica divisio* suppetat, talem, inter plures numeri factores, divisorem semper seligi, ope cuius quotus infra terminum tabulae primae deprimi posset.
3. Ad definiendos majorum numerorum divisores plures *tabulas auxiliares* in appendice adjeci, quarum usus in introductione exemplis luculenter illustratur.

Si tandem methodum quaeras, qua tot productorum divisores invenire licuit, similem quidem deprehendes ei quam clar. Burckhardt jam in medium protulit, quae tamen propter arctam, quae mihi cum Typographia *Tanzeriana* intercedit necessitudinem, illa multo promptior est, adhibendo ibidem prela, ubi vir clarissimus calamo, non sine magna temporis jactura, numeros inscribere debuerat. Atque sequentibus continetur:

Quoniam inter trecentos numeros serie naturali ascendentes octuaginta tantum numeri dantur per 2, 3 et 5 non divisibiles, quorum duae notae infimae perpetuo eodem ordine repetuntur; hinc ductis in plagula 80 lineis horizontalibus et pluribus quotcunque lineis verticalibus priores trahentibus, in suprema linea horizontali ceu fronte numeros 0, 3, 6, 9, 12 ... in progressionem differentiae 3 ascendentes, atque in sinistima linea verticali illas 80 infimas numerorum notas adscripsi, quo factum est, ut omnes numeri per 2, 3 et 5 non divisibiles, quorum centena terminum seriei in fronte positae non excedunt in ea plagula continerentur, caeteris omnibus exclusis: jam determinavi illos numeros, qui divisorem 7 involvunt, et in locis, ubi centena eorum-

*) Cribrum Arithmeticum sive tabula continens etc. confecit Lad. Chernac, Daventriae 1811.

**) Georgii Vega Tabulae logarithmico-trigonometricae: logarithmisch-trigonometrische Tafeln. Lipsiae 1797 vol. II.